AUGUSTINUS
Admont, 12. Jh. Seite 120v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift



documenta ubi non solum deus sed etiam uerus deus dictus est filius. In hoc enim testi
monio dicitur aliud solue intendit sic se implicant ut expedire non possint.
Si enim pater fecit ad imaginem filii ita ut non sit homo imago patris sed filii
dissimilis est pater filius. Si autem pia fides docet filium esse ad equalitatem essentie
similem patri quod ad similitudinem filii factum est necesse est etiam ad si
militudinem patris factum sit. Deinde si hominem pater non ad suam sed ad filii
fecit imaginem cur non ait faciamus hominem ad imaginem et similitu
dinem tuam sed ait nostram non quia trinitatis imago fiebat in homine ut hoc
modo esset homo imago unius ueri dei quia ipsa trinitas unus uerus deus est. Locuti
ones autem sunt innumerabiles in scripturis sed has protulisse sufficit. Et in psalmis
ita dictum. Domini est salus et super populum tuum benedictio tua. quasi alteri
dictum sit non ei de quo dixerat domini est salus. Et iterum. A te inquit eruar a
temptatione et in deo meo transgrediar murum. quasi alteri dixerit a te eru
ar a temptatione. Et iterum. Populi sub te cadent in corde inimicorum
regis. ac si diceret in corde inimicorum tuorum. Ei quippe regi dixerat idest
domino ihesu xpo populi sub te cadent quem regem intellegi uoluit cum
diceret in corde inimicorum regis. Rarius ista in noui testamenti literis inueni
untur sed tamen ad romanos apostolus de filio suo inquit qui factus est ei ex semi
ne dei secundum carnem qui predestinatus est filius dei in uirtute secundum spiritum sanctifi
cationis ex resurrectione mortuorum ihesu xpi domini nostri. tanquam super
de alio diceret. Quid enim filius dei predestinatus ex resurrectione mor
tuorum ihesu xpi. non idem xpc ihesc qui predestinatus est filius dei. Ergo
quomodo hic cum audimus filius dei in uirtute ihesu xpi aut filius dei secundum spiritum
sanctificationis ihesu xpi aut filius dei ex resurrectione mortuorum
ihesu xpi cum dici potuisset usitate in uirtute sua aut
secundum spiritum sanctificationis sue aut resurrecti
one mortuorum eius uel mortuorum suorum.